

rum scientissimi semper cavendum sunt opinati . Non audacia , non incertis , ac periculi plenis consiliis , sed prudentia captæ rerum præclare gerendarum opportunitates , prosperos eventus solidæ , veræque gloriæ fructum pariunt . Sed contra maris Præfectus speciosa tutis anteferre solitus , atque vulgi opinione , ac vocibus , non rei veritate consilia metiri , maximam illius famam in omnem posteritatem notam dedecoris subituram arbitrabatur , si constantiæ , invictique animi existimationem , quam apud cunctos mortales concitaverat , Ticinensem obsidionem solvendo , corrumperet , certamque obtinendæ jamdiu obsessæ urbis spem sponte amitteret : hostes rerum omnium penuria , atque egestate adactos ; loco munito , atque ad obsistendum Cæsareanis opportuno castra esse : egregio hoc facto debellari hostes , totam Italiam subjici Gallorum imperio haud difficulter posse : audendum , dum omnia regiæ felicitati faverent , ac fortunam benigne afflantem , dum tempus esset , excipiendam .

Consilium illius Rex amplexus , cum Sancti Angeli oppidum captum ab hostibus allatum esset , copias omnes (parvo militum numero excepto , quos trans Ticinum amnem ad continendos in officio incolas illius regionis reliquit) in unum contrahit . Italorum peditum duo millia , qui æstate superiore Rentii Ceritis auspiciis militaverant , nuper Massilia Savonam profectos ad castra vocat . Joanni Ludovico Palavicino , cui quinquaginta equitum præfecturam , tribunatumque peditum concesserat , mandat , ut Cremonam auxiliis destitutam occupare conetur ; commeatus , qui inde ad castra hostium convehébantur , intercludat . Nihil , quod vires exercitus augere , vel hostes detrimento afficere queat , prætermittitur . Qui Massilia moverant milites , cum in Alexandrinum agrum prope Urbam fluvium pervenissent , a Gasparo Mayno Mediolanensi , qui cum mille ac septingentis peditibus Alexandria præerat , parva manu , cum ex itinere defessi , ac rei novitate percussi non diu substitissent , fœde in fugam vertuntur , atque in Castellettum oppidum se recipiunt : nonnulli cæsi , ceteri cum oppido in hostium potestatem concessere . Palavicinus , duobus peditum millibus , ac quadringentis equitibus Pado trajecto , Casale majus nullis